ARCHIVO

26

DE LA

EXCMA. DIPUTACIÓN PROVINCIAL

SEVILLA

SECCIÓN HISTÓRICA

Legajo 1 C

Número 4

DIPUTACION DE SEVILLA

Fecha: 1541

Tipología documental y descripción de contenido:

BULA DE PAULO III PARA QUE PASEN AL HOSPITAL CINCUENTA MISAS DE DOTACIÓN DE LA CAPILLA DE S. GREGORIO DE ALCALÁ DEL RÍO.

Medidas: 34 (29 +5) x 46.

Estado de conservación: REGULAR

Observaciones:

Procedencia (legajo): HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS.
LEG. 1 C

Signatura: PERGAMINOS, 6
HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS, LEG. 1C

~~N.º 28.~~ N.º 24.

26

25 de Enero de 1.541 — Paulo III

Para que se pasaran á la Iglesia del Hospital 50 misas de la dotacion de la Capilla de S. Gregorio de Alcalá del Rio —

Cinco llagas, leg 1 C - doc. n.º 4

Nº 22

Antonius Miseratione divina tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbiter
Cardinalis, Dilectis in Christo Visitatoribus et Administratoribus perpetuis Hospitalis
Quinque Plagarum Domini nostri Iesu Christi Civitatis Hispalensis salutem in Domino.
Ex parte vestra nobis nuper exhibita petitionis series continebat quod alias quondam
Don Petrus Henriquez Praefectus Maior Provinciae Beticae, frater, et Don Henricus
ac Don Franciscus Patrui quondam Don Federici Henriquez de Rivera Marchio-
nis Tarifae dum in humanis agerent cupientes terrena in coelestia et transitoria in ae-
na felici commercio commutare in ultimis quae de bonis sibi a Deo collatis condide-
runt testamentis, seu ultimis voluntatibus vel alias nonnulla eorum bona, aut pecu-
niarum summas seu annuos redditus pro celebratione trium Capellaniarum
in Capella heremitorii Sancti Gregorii sita in oppido de Alcala del Rio Hispa-
lensis Dioecesis fienda reliquerunt. Et deinde dictus Don Federicus attendens
bona praedicta pro dictis tribus Capellaniis celebrandis non sufficere, cupiens quae eo-
rundem Patris et Patruorum suorum piae voluntates huiusmodi adimplere in
suo ultimo testamento voluit et mandavit quod heres suus universalis praedicta et
alia quaecumque bona ac pecuniarum summas vel annuos redditus pro celebratio-
ne dictarum trium Capellaniarum relicta ad manus suas caperet, illaque reti-
neret et de bonis propriis hereditatis suae in dicto heremitorio septuaginta quin-
que Missas singulis mensibus loco dictarum trium Capellaniarum pro anima-
bus Patris et quondam dominae Catherinae de Rivera Matris quae etiam certa bo-
na pro celebratione seu adiutorio Capellaniarum huiusmodi reliquerat ac Patru-
orum suorum praedictorum per presbyteros ad id per eum pro tempore deputandos
perpetuo absque aliqua diminutione celebrari faceret, prout in dictis testamentis et
seu aliis scripturis desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem sicut ea-
dem subiungebat petitio dictum Hospitale quod ab eodem Don Federico in suo ulti-
mo testamento heres universalis institutum fuit propter illius futuram magnifi-
centiam magno Missarum numero indigeat et in parrochiali Ecclesia dicti oppi-
di de Alcala del Rio plures Missae per illius presbyteros ibidem deservientes quo-
tidie celebrentur, cuperetis propterea ex praefatis septuaginta quinque Missis
Quinquaginta Missas in Ecclesia dicti Hospitalis celebrari facere, ex quo
profecto dicti Hospitalis decori non modicum consuleretur. Quare supplicari
fecistis humiliter vobis super his per sedem apostolicam de opportuno remedio
misericorditer provideri. Nos igitur testamentorum et seu scripturarum
huiusmodi tenores continentias et formas ac si de verbo ad verbum insererentur
praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, vestris in hac
parte supplicationibus inclinati auctoritate Domini Papae cuius Poenitentia-
riae curam gerimus et de eius speciali mandato super hoc vivae vocis ora-
culo nobis facto, vobis ut de cetero ex dictis septuaginta quinque Missis in
eodem heremitorio quolibet mense ut praefertur celebrari solitis, quin-
quaginta Missas in Ecclesia dicti Hospitalis vel ubi illud pro tempore

mutari seu transferri contigerit per presbiteros ad id deputatos a deputan-
dos reliquas vero officiti quinque Missas in prefato heremitorio celebrari fa-
cere, sine tamen suarum Parrochialium prejudicio, libere et licite possint, et
valeant (veris existentibus premissis) (de consensu Patronorum dictarum
Capellaniarum vel Missarum, si qui sint) prefatis indulgemus ac licen-
tiam, et liberam concedimus facultatem voluntates predictorum defuncto-
rum in et quoad hoc commutandi. Non obstantibus voluntatibus huiusmodi ac
Constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon tam Provincialibus quam
Sinodalibus dictisque Parrochialis Ecclesiis statutis et consuetudinibus etiam
Juramento Confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis
ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum
sub sigillo officii penitentiarie octavo Kalendas februarii Pontificatus
Domini Pauli Pape tertii anno septimo

corresponde al año de 1541.

Presentes lat. Exped. de 12 Nov. 8.
p. la Rosa.

Loco ✠ Annuli Piscatoris M. A. Maraldus. Quas quidem litteras ut ad eorum notitiam ad quos spectat facilius deducantur, et ab eis plenius observentur precibus nomine eorumdem Dominorum Administratorum annuentes, Vobis omnibus supradictis, ac unicuique vestrum cuilibet in solidum tenore presentium committimus et in virtute Sanctæ Obedientiæ stricte precipiendo mandamus quatenus cum a nobis receptis presentibus sub quingentorum ducatorum auri de Camera Romanæ Cameræ Apostolicæ applicandorum et pro illis Mandati executionibus, et in iuris subsidium excomunicationibus aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris et poenis omnibus et singulis ad quos spectat et in executione presentium nominandis et cognominandis intimetis et notificetis et ad eorum notitiam deducatis, prout nos intimamus insinuamus et notificamus eisdem per presentes preinsertas litteras apostolicas ac omnia et singula in eis contenta et successive Moneatis eosdem et eorum quemlibet quatenus infra sex dies quorum duos pro primo duos pro secundo et reliquos duos dies pro tertio ultimo et peremptorio termino nos assignamus, et vos assignetis eisdem, sub antedictis censuris et poenis, et respective interdicti Ecclesiastici dispensationis ac divinis privationis vocis activæ et passivæ aliisque arbitrio nostro et etiam in dictis litteris apostolicis contentis sententiis censuris et poenis debeant et eorum quilibet debeat per ad eos et eorum singulos spectat et pertinet dictas preinsertas litteras apostolicas ac omnia et singula in eis contenta in omnibus et per omnia iuxta illarum formam seriem et tenorem observasse et executioni demandasse et quod omnino observentur ab aliis ubi quando et quoties opus fuerit illorumque effectu ~~gaudeant~~ dicti DD. Instantes gaudeant et gaudere possint libere et omni cessante contradictione, et impedimento et tam dictis litteris apostolicis, quam presentibus nostris paruisse, et insuper inhibeatis eisdem prout nos inhibemus per presentes ne nisi auditis aut receptis presentibus sub antedictis censuris, et poenis audeant, vel presumant aut eorum aliquis audeat seu presumat sub quovis pretextu, ingenio, causa vel quesito colore per se vel alium seu alios directe vel indirecte tacite vel expresse executioni, et effectui dictarum litterarum apostolicarum se opponere nec quidquam penitus attentare vel innovare alioquin si prefati sic moniti seu monendi in premissis se habere gravatos senserint, citetis et citari curetis prout nos citamus et citari mandamus eosdem per presentes quominus sexagesima die post presentium executionem, si dies ipsa iuridica fuerit, alias prima die iuridica ex tunc proxime immediate sequenti compareant Romæ in iudicio legitime coram Nobis per acta infrascripti Notarii Causam eorum gravaminis allegaturi aliaque dicturi facturi et recepturi prout iustitia suadebit et ordo dictaverit rationis. Certificantes eosdem sic monitos et citatos quod si in dicto citationis termino comparuerint sive non Nos nihilominus seu litteris infrascriptis — ad premissa et alia graviora iuris et facti remedia necessaria et opportuna debite procedemus, et procedi faciemus illa mediante. Absolutionem in premissis nobis aut Superiori nostro tantummodo reservamus In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris Anno a nativitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo sexcentesimo trigesimo octavo Indictione sexta die vero sexta mensis Novembris Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Urbani Divina Providentia Papæ Octavi, Anno eius decimo sexto.